



17

19

2

3. d

4.

5

6

1.

2



1778.

1. Endres, Joannes Nepomucenus: De literarum obligati-
one Theophili, visiones legitimae 2 pamph.
2. Endres, Joannes Nepomucenus: De insinuationis primariae -
vnae praesens Caesararum necessitate et effectu.
3. Haug, Jacobus Josephus: De legislativa potestate statuendi
potestate
4. Schmitt, Josephus Maria: De querela inofficiorum inter
parentes et liberos orate.
5. Schmitt, Josephus Maria: De summa appellabili potestate
personum privilegia de non appellando haud restringente
ad illustrationem § 114 Rec. Temp. norvicanae.
6. Wiesen, Joannes Franc. Christoph: De subscriptione testatoris
1781. anaphabeti per cruceas.
1. Endres, Joannes Nepomucenus: De differentiis in leg. collatione
beneficiorum Germaniae canonice sequelas. . . .
2. Haug, Jacobus Josephus: De eo, quod iustum est circa omnes
reficiendi aedificia ecclesiastica in genere et in specie
in Franconia

1781.

3. Haas, Jacobus Josephus: De iudice religionis in Germania non toleratae
4. Schneidt, Josephus Maria: De eo, quod circa austriacos volu-
arias inter vasallos et circa appellationem in feudis
extra curtem juris est.
5. Schneidt, Josephus Maria: Systema successoriae collateralium
ab intestato secundum jus Romanum fere antiquum,
tum uerum et Franconicum.
6. Wiesen, Franc. Christophorus: De testamento arcaico
ad l. 21. C. de testamentis.
7. Wiesen, Franc. Christophorus: Specimen jurisprudentiae
Antejurisprudentiae sistens Aelii Marciani jurisconsulti
librum singularium ad hypothecariam formulam.

12

13







DISSEPTIMO IN SEIGURALIS CRISTO
LLEPI
THE ENI PAMMAZIN ENO
XHS G... GEO
DIAOT... ΣΕΡΟΣ.
... U M
... VISIONE
... MAE





Pri. 62. num. 23.

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIS CIVILIS ET FRANCONICI
DE
QUERELA INOFFICIOSI
INTER
PARENTES ET LIBEROS EXULE.

QUAM UNA CUM SUBJUNCTIS
EX UNIVERSO JURE COROLLARIIS
ADSPIRANTE

DEO TER OPTIMO MAXIMO,
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,
IN ALMA JULIO-DUCALI WIRCEBURGENSI UNIVERSITATE,
PRAESIDE
PRAENOBILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO AC
DOMINO

D. JOSEPHO MARIA SCHNEIDT,

U. J. DOCTORE, COMITE PALATINO CAESAREO, REVERENDISS. AC CELSISS.
S. R. I. PRINCIPUM EPISCOPI BAMBERG. ET WIRCEB. FRANCIAE ORIENTALIS
DUCIS &c. NEC NON FULDENSIS CONSILIARIO AULICO, PANDECTARUM ET
JURIS FRANCONICI PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO, ALMAE

UNIVERSITATIS FISCALI,
PRO LICENTIATUS IN U. J. CONSEQUENDO GRADU
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
TRIBUS PRO MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS RITE
TENTATUS ET ADPROBATUS

ADOLPHUS AB ECKHART

OBERSCHWARZACENSIS, AA. LL. ET PHILOSOPHIAE MAGISTER,
AUTHOR ET RESPONDENS.

IN AUDITORIO JURIDICO
DIE FEBRUARII ANNO MDCC LXXVIII.

Horis aere & post meridiem consuevis.

TYPIIS FRANC. ERN. NITRIBITT, UNIV. TYPOGRAPHI,



— — — — —

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

S E C T I O I. HISTORIA QUERELAE INOFFICIOSI.

- §. I. *Præmissio statu successione secundum Jus Naturæ,*
§. II. *Et remissive secundum Jura Mosaica, Persica, Græca,
ac Germana,*
§. III. *Proponitur successio primorum Romanorum; Ubi oc-
currunt Testamenta in Comitibus Calatis, &*
§. IV. *In procinctu condita.*
§. V. *Quibus accessit Testamentum per æs & libram, nec nou*
§. VI. *Testamentum Prætorium; quæ tamen omnia Consti-
tutionibus Principum in aliam formam sunt redacta.*
§. VII. *Stante sic libertate testandi vaga quasi, ea per Le-
gem Falcidiam &*
§. VIII. *Introducendam legitimam,*
§. IX. *Per Senatusconsulta Trebellianum, & Pegasianum,
nec non*
§. X. *Quartam D. PII valde fuit restricta.*
§. XI. *Inde orta necessitas, quasdam personas vel instituendi,
vel exheredandi,*
§. XII. *Relictis tamen in arbitrio Centumvirorum exhere-
dandi causis.*
§. XIII. *Ob quas data est Querela inofficiosi, quæ*

A

§. XIV.

§. XIV. *Certis personis &*

§. XV. *Quoad certos effectus competebar,*

§. XVI. *Sub JUSTINIANO autem varias passa est mutationes.*

S E C T I O II.
DE QUERELA INOFFICIOSI A JUSTINIANO IN EXILIUM IRE JUSSA.

§. XVII. *Querela inofficiosi a JUSTINIANO ita mutatur in Novellis, ut*

§. XVIII. *Inter parentes exul dici queat. Quod*

§. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. *probatur, ac*

§. XXV. *Condiçionem ex Nov. 115. in ejus locum surrogatam esse defenditur;*

§. XXV. *Quibus competat, determinatur; nec non*

§. XXVI. *Quos habeat effectus, refertur: simulque*

§. XXVII. & XXVIII. *Contrariis respondetur, &*

§. XXIX. *Quaedam de querela fratrum producuntur.*

S E C T I O III.
DE QUERELA INOFFICIOSI ETIAM JURE FRANCONICO EXULE.

§. XXX. *Existente licet necessitate instituendi,*

§. XXXI. *Exheredatio tamen est concessa.*

§. XXXII. *Cujus causæ remissive referuntur, ac præmissa demonstratione, etiam in Franconia Querelam inofficiosi exulare*

§. XXXIII. *Concluditur.*

DE



DE
QUERELA INOFFICIOSI
INTER PARENTES ET LIBEROS
EXULE.

Tantus profecto Virorum in Jure celeberrimorum extat numerus, qui materiam de Querela inofficiosi Testamenti ita excoluere, ut ad eandem denuo calamus adplicare idem esse, ac actum agere quisque sibi persuadere facile queat. Verum non ea hæc sunt, quæ huic Deductioni meæ, quamvis illa omni ex parte manca sit, objici a benevolo Lectore posse autem; non enim crambem centies coctam recoquere mihi pro scopo sumpsî, nec speciales, ac cæterarum actionum naturæ plane contrarias hujus querelæ proprietates prolixè examinare intendo, cum id a præstantissimis Jurisconsultis jam abunde factum esse meminerim;

A 2

sed

sed in hanc potius quaestionem praedjudicalem paulo accuratius inquirere mihi proposui, quaestio est: An Jure hodierno adhucdum detur vera inter parentes & liberos Querela inofficiosi? aut an non potius, eam e nostro Jure plane exulare, dici queat? Nec hujus quaestionis decisionem sine effectu, consequenter nec litem de nomine esse, quis dixerit, cum tam singulares in Jure proprietates passim occurrant, quae huic querelae ab omnibus Jurisperitis tribuantur, ut ea cessante illas quoque exinaniri necesse sit. Ad propositum autem meum ordinatius persequendum, ejusdem Querelae historiam ex Jure Romano antiquo paulo latius deducendam esse censeo, quo feliciter peracto, selectam mihi thesaurum facilius probatum iri sperare possum. Cum vero Querela inofficiosi non sit, ubi testamentum non est, ad historiam ejus ex integro perrexendam Romanorum testamentorum originem & progressum, ex antiquitatibus hauriendum, praemittere inutile non erit, quare

S E C T I O I.

HISTORIA QUERELAE INOFFICIOSI.

§. I.

Priusquam ad statum successionis Romanae transire faciam, cum vix non in omnibus Jus Naturae praeter ceteris investigandum veniat, successionem secundum Jus Naturae praemittere volui. Sumitur autem successio duplici

plici modo; vel enim succeditur ex testamento, vel ab in-
 testato. Posteriorem hunc succedendi modum in Jure
 Naturæ locum fortiri, pauci sunt, qui ambigant, unde
 longiori illud demonstratione stabiliendum haud puto.
 Quem enim alium in finem homines tanto sæpius cum la-
 bore sibi bona comparant? profecto non ob vitam solum
 commode, suaviterque transigendam, cum rebus suis
 tam modice uti nonnunquam soleant: Neque, ut ea sum-
 mis non raro angustiis corrasa post mortem pro derelictis
 habita cuivis occupanti cedant; sed hæc potius illorum
 mens & intentio esse videtur, ut, peracta commode vita,
 ea, quæ de bonis suis adhucdum restant, proximis cogna-
 tis, quorum prospera fortuna unice delectari præsumun-
 tur, utilitatem adferant. Quodsi igitur contrariam, eam-
 que expressam voluntatem in vita non declaraverint, op-
 timo Juris fundamento concludimus, successionem illis
 præprimis deberi, in quorum gratiam defunctus bona
 præcipue acquisivisse & conservasse præsumitur. Agno-
 vere hoc jam Jurisconsulti Romani; inde L. 50. §. 2. ff. de
 bon. libert. habetur: „His enim (liberis) omnia, quæ no-
 „stra sunt, ex voto paramus.“ Et in L. 7. §. 1. ff. Und.
 Lib., nec non L. 15. ff. de inoff. testam. expressè dicitur:
 „Eos admittit Naturæ simul & commune parentum vo-
 „tum.“ Et hoc est unicum illud fundamentum, cui suc-
 cessio ab intestato superstruitur. Sed frequentior paulo
 inter Jurisperitos disceptatio de altero successionis modo
 est, an nempe testamentifactio quoque in Jure Naturæ lo-
 cum inveniat? Plurimi negativam tuentur sententiam, no-
 to illo argumento ducti, quod homo seposito Jure Civili



non possit habere Jus disponendi de re ulla eo tempore, quo omnis Juris est prorsus incapax, demortuum vero Juris cujuscunque inhabilem quis facile largiatur; ad mortuos enim res humanas pertinere quis somniabit, cum dominia nonnisi ideo introducta sint, ut vivis hominibus interserviant. Inde concludunt: Sicut non possum disponere de re, quæ aliquando mea quidem fuit, jam vero mea esse desit, ita ex rei natura non possum disponere de re pro eo tempore, quo nec mea est, nec mea esse amplius potest. His quamvis rite perpensis, contrarium nihilominus asserendum esse puto. Licer enim illas fictiones atque solennitates, quas Jus Civile testamentifactioni attribuit, Juri Naturali ignotas esse quis statuat, non tamen ullum video impedimentum, quo minus quis dominium, quod in res suas habet, per ultimam voluntatem in alium transferre, & cum effectu jubere queat, ut alter post fata demum sua earum rerum possessionem atque dominium consequatur, cum plena de rebus suis disponendi, easque in præsens alienandi potestas domino competat, prout ait Jurisconsultus in L. 9. §. 3. ff. de acquir. rerum domin. quare non in futurum? Sane nihil videretur mihi æquius, nihil rationi naturali conformius, quam ut quis ea bona, quæ tam anxie in vita acquisivit, per ultimam voluntatem in alium devolvere possit, præsertim cum frequentius accidere soleat, ut illi vel hæredes ab intestato non existant, aut illis quidem existentibus, alios longe digniores esse existimer, qui sua post fata relictam hereditatem consequantur. Neque hoc vel per modum donationis inter vivos, utpote irrevocabiliter obligantis, cum sic quis in præsen-

praesentissimum semetipsum depauperandi discrimen poneretur, vel per mortis causa donationes fieri aequae commode possent, cum ob fata improvisa, aut longam amicorum absentiam ejusmodi donationem legaliter celebrare innumeris casibus vix possibile esset.

§. II.

Foret hic locus de successione Judaica, Persarum, Graecorum, ac in specie Germanorum praecipue testamentaria differendi; sed cum alii hoc jam sufficienter praestiterint, neque ad thema praesens singularem praestet utilitatem, Lectorem ad eos (a) remittere mihi liceat.

§. III.

(a) De Israelitis vide SELDEN. de Successione in bona defunctorum ad LL. Ebraeorum cap. 24. pag. 82. Quo etiam pertinent loca Gen. X. 25. XV. 3. XXV. 5. XLVIII. 22. Num. XXVII 8. Deuter. XX. 16. 17. ESDRAE XXXVIII. 1. EZECH. XLVI. 16. SYRACH XXXIII. 20. PAUL. ad Gal. III. 15. & ad Hebraeos IX. 17. HENR. DE BODE Tract. jurid. de modern. Testament. abusu.

De Persis XENOPH. in Cyroped. L. 8. pag. 161. JUSTIN. Lib. V. Cap. II.

De Graecis PLUTARCHUS in SOLONE p. 84. ARISTOT. Polit. L. 2. c. 7. p. 85. ALEX. AB ALEX. Gen. dier. Lib. 6. c. 10. p. 893. DEMOSTH. in Orat. contra LEPTINEM de Coron. II. p. 983. ISOCRAT. in Aegener. PLAT. de Leg. Lib. XI. p. 679.

De Germanis TACITUS cap. 20. HEIN. Elem. Jur. Germ. & alii innumeri. In specie autem THOMAS. de orig. Success. testam. P. U.





§. III.

Ad Romanorum Successionem vero quod attinet, ejus historiam ex Antiquitatibus genuine eruere non ita facile est; siqua enim Juris Romani pars varie habita, ac saepe immutata fuit, ei potissimum id accidisse arbitror, quæ ultimas voluntates ordinat. Ab initio Romanis dominium familiæ (a) agnoscentibus testamenta privata incognita fuisse per se patet; sed cum ex post crederent, ejusmodi dominia lege publica interverti posse, etiam testamentis publicis originem dedere, & prouti duo potissimum administranda Reipublicæ, totiusque vitæ humanæ tempora constituere solebant, pacis videlicet & belli, ita pariter duo testamentorum genera Romanis in usu fuisse constat, quorum altero in pace & otio utebantur, altero cum in prælium erant exeuntes. Utrumque ad antiquissima Romanæ Urbis tempora referre licet. Sic illius, quod in pace et in Comitibus Calatis fiebat, jam mentio occurrit in LIVIO & DIONYSIO HALICARNASSÆO, quorum prior Libro I. p. m. I. memorat, PROCAM NUMITORI regnum legasse; f. 17. Nepotis in testamento præteriti, &

Tu-

POFEND. de J. N. & G. L. 4. cap. 10. §. 5. HEINR. BODINUS de moder. testam. abusu §. 9. seqq. JOA. BODINUS de Republ. L. 5. c. 2. p. 333. SAMUEL STRYK de favore testamentorum non favorabili. NEUMANN Meditat. ad Jus Princip. L. 5. Sect. 4. Tit. 19.

(a) Hoc Romani a Græcis, ex quibus orti erant, traxisse videntur, apud quos, licet testamenta cognita fuerent, major tamen ratio familiæ,



stamenti valor tum temporis dependebat. In his ergo testamenta condebantur per modum legis, præmissa procul dubio solenni rogatione, qualem GELL. NOËT. Att. V. 14. refert: „Velitis, jubeatis Quirites, ut L. TITIVS „L. VALERIO tam Jure Legeque hæres sibi sit, quam si „ejus filiusfamilias proximusque agnatus esset. Hæc ita, „ut dixi, ita vos Quirites, rogo.“

§. IV.

AIterum testamentorum genus in procinctu vocabatur; cum enim populus Romanns tanquam gens plurimis bellis implicata militum copia semper indigeret, civibus quædam proposuit incitamenta, ut eo promptius se militiæ darent. Fuit inter hæc insigne testandi privilegium, vi cujus militibus indultum erat, ut in procinctu stantes, vel cinctui Gabinio (a) & scutis manus inferentes sagoque se accingentes, simul etiam tribus vel quatuor audientibus hæredem suum ob dubiam belli aleam valide nuncupare possent.

(a) Cinctum Gabinum sumebant Imperatores, qui se Diis Manibus pro exercitu devotebant. LIV. VIII. 9. 10. X. 7. 28. Hinc eodem utebantur milites in rebus trepidis quasi Diis Manibus devoti. Cum vero horum devotorum voluntas pro lege esset, LIV. X. 29. eorum quoque testamenta tanquam tacito populi suffragio adprobata suo robore gaudere jubebantur. Hisce duobus testandi modis dominio familiæ grave vulnus inflictum fuisse, nemo non videt. Sed vix non in desuetudinem abiit, dum testamentifactio a Comitibus in privatas domos erat translata, & quod antea legis fiebat modo in speciem contractus, imaginariæ scilicet venditionis, transformabatur.

possent (b), qui testes quidem solennitatis causa omnino non interveniebant, sed ideo tantum, ut omnis fraus abesset, qua militibus haeres obvenire saepius poruisset, de quo ne cogitassent unquam. Praeclarum igitur erat privilegium hoc militibus datum, cum possent citra populi consensum & sine probatione aut nominatione justae causae heredem quemcunque extraneum, praeterito vel exheredato legitimo, sibi nominare, quamvis eorum testamenta tunc solum vim suam obtinuerint, si adversi quid ipsis in acie acciderit; extra periculum enim & cinctum Gabinum constituti milites Jure utebantur communi (c). Acie igitur feliciter superata, eorum testamenta verbis licet desertis non revocata, evanuerunt.

§. V.

Videbatur equidem populo Romano iste in Comitiiis testandi modus non aequae accommodus, cum Jus testandi a voluntate populi potius in Comitiiis congregati dependeret, quam a beneplacito testatoris. Ut innumeras difficultates sileam, quibus insuper ejusmodi testamentifictio premebatur. Sic per eam jus in heredem statim transferebatur, adeoque ultimae voluntates ad extremum

B 2

vira

(b) Talia testamenta a Legionibus in obsidione Cantabriae urbis occupatae, nec non a militibus Coriolani facta refert VELLEJUS PATERCULUS L. 2. c. 5. n. 3.

(c) CICERO de Orat. I. 73.



vitaë momentum ambulatoriaë minime erant; per Leges igitur Decemviraes testamenta condendi potestas in arbitrium privatorum, & ex parte Comitii in illorum aedes translata est.* Prudentum his accessit interpretatio, qui rem ita temperaverunt, ut saltem umbram aliquam rationis communis & morum veterum novus testandi modus retineret. Fingebant igitur, totum populum, qui ex quinque classibus constans in Comitiiis Calatis ad testamenta ordinanda adhibitus antea fuerat, per quinque testes, eosque Cives Romanos, repraesentari. Præterea hereditatem non tam per ultimam voluntatem quam per venditionem & mancipationem transferri. Constituebatur idcirco præter testatorem, qui hereditatem vendebat, familiae emptor, antestatus & libripens, nec non quinque testes, quibus omnibus præsentibus more a Majoribus adhibito mancipatio & imaginaria hereditatis venditio fiebat; qua rite peracta, testator tabulas tenens, „Hæc, ait, uti in „his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos, Quirites, testimonium præbitore.“ (a) Cum igitur omnia solennia mancipationum ad testamenta adhiberi cœperint, mancipationes autem per æs & libram celebrare moris esset, in aprico est, quare hujusmodi testamenta per æs & libram appellata fuerint.

* Latis igitur Leg. XII. Tabularum testamenta in Comitiiis facta, successive ab usu recessisse videntur. Cum enim jam cives de bonis suis pro arbitrio disponere possent, nemo profecto tam demens fuisset credendus est, ut in Comitiiis

(a) ULPIAN. Fragm. XX. 9.

mittis Calatis testari mallet, & sic voluntatem suam totius populi suffragio submittere, a cujus adprobatione demum testamentum omne suum robur nancisceretur. Ne tamen hic credas, cave, quod, quemadmodum testamenta occasione LL. XII. Tabb. in privatorum aedes translata sunt, ita & eorum solennitates iisdem Legibus sint introductæ; sed earum origo potius interpretationi Jurisconsultorum debetur. Quemadmodum enim post Leges Decemvirales, ne populus actiones ex iisdem competentes, prout vellet, institueret, certas illis formulas ac solennitates præscripserunt, quæ actiones legitimæ adpellabantur; Eadem ratione & testamentis suas addidere solennitates, sine quibus subsistere illa haud possent, adeoque, quamvis in supra memoratis Legibus libripendis, & eorum, qui finit testarier, mentio fiat (b), hoc tamen caput non ad testamenta, sed ad venditiones & alios contractus potius pertinet, cum & libripens & testes in venditionibus rerum jam ante XII. Tabb. erant; quin imo libripens jam sub Regibus extitit, ubi nummo adhuc rudi & informi usi fuerant Romani, usque dum SERVIUS Rex primus signaverat æs nota pecudum, unde & pecuniæ nomen sortitum.

§. VI.

Stante hoc testandi modo * sensim aliud testamentorum genus libera adhuc Republica invalescere cœpit; cum enim plerasque solennitates in testamento per æs & libram condito adhibendas tanquam nimis subtiles Prætor agnosceret, is rei æquitate motus, insuper habitis illis Juris

B 3

api-

(b) GELL. L. 15. c. 13. „ Qui se finit testarier, libripensque fuerit, „ ni testimonium fariatur, improbus, inestabilisque esto. „



apibus, mancipatione scilicet, & nuncupatione, testamēta solis septem testium signaculis munita sustinebat. Ideo autem septem testes requirebat, ut præter illos quinque, qui populum repræsentabant, duo superessent, qui Antestati & Libripendis persona fungerentur. Fiebant præterea talia testamēta sine rogatione, sine mancipio, faciliiori arque simpliciiori Juris observatione. Ita commemorat originem hujus generis ultimarum voluntatum princeps ejus mutationis testis TRIBONIANUS (a); „Jure enim, „ait, honorario nulla emancipatio desiderabatur; sed septem testium signa sufficiebant, cum Jure Civili testium „signa non erant necessaria. „ Non igitur detraxit Prætor proprie quidquam ratione solennium, neque personarum numerum imminuit, sed quinque admisit cives, & duos deinceps, sine Libripendis tamen & Antestati nomine, addidit, tollendo solum mancipationem a Prudentibus additam, & verborum enunciacionem, ipsas tamen civilis instituti rationes servavit, sicque parum in re ipsa mutatum esse adparet. Testamēta hac solennitate confecta cum sustineret Prætor, & ex iis honorum possessionem daret (b), Prætoria dicta sunt. Denique cum & Constitutionibus quadam nova inveherentur observationes, temporibus THEODOSII Junioris in unum conflari cœperunt ritus ex Jure Civili, Prætorio, & Principum Constitutionibus nati, unde evenit, ut testamēta I. Uno contextu,

(a) §. 2. Inst. de Testam. ord.

(b) L. 7. L. 9. ff. de Bon. Poss. sec. Tab.

textu, II. Præsentibus septem testibus, III. Iisdemque subscribentibus, & IV. Annulo signantibus condi, ac V. A testatore ipso vel scribi, vel saltem subscribi debuerint (c), addita postea a JUSTINIANO sexta solennitate, ut per manus testatoris & testium hæredis nomen exprimeretur (d). Sed posterior hæc solennitas diuturna haud erat, cum idem eam iterum sustulerit JUSTINIANUS (e).

* Permanit testandi modus per æs & libram non libera solum Republica, sed & sub AUGUSTO, & TIBERIO in usu, prouti SUTTONIUS c. 4. in vita NERONIS narrat. DOMITIUM fuisse familiæ emptorem in testamento AUGUSTI. Nec non ULPIANUS Frag. XX. 2. sic scribit: „ Illis duobus testamentis (in Comitiiis Calatis, & in pro-cinctu) abolitis, hodie solum in usu est, quod per æs & libram fit, id est, per mancipationem imaginariam. „

§. VII.

Perpeximus hætenus primorum testamentorum naturam, ac præcipuas eorum vicissitudines, ex quibus omnibus facile est colligere, illam testandi facultatem fuisse liberrimam. Sic parentibus comperebat potestas nullis limitibus circumscripta, liberos suos vel exhæredandi, vel prætereundi. Cum enim LL. XII. Tabb. cautum esset,
ut

(c) § 3. Inst. de Testam. ord.

(d) §. 4. Inst. eod.

(e) Nov. CXIX. 9.



ut paterfamilias, prout vellet, ita posset legare de familia, pecunia, tutelave suæ rei, tali vero Lege non extante, demum suis, tunc proximis agnatis & gentilibus hæreditas deferebatur, non abs re inde collegerunt Prudentes, latissimam illis datam fuisse potestatem, & hæredes instituendi, & exhæredandi (a). Nimirum Romani sumebant sibi tantquam normam generalem illud assertum L. 21. Cod. Mandati, quemlibet suæ rei esse moderatorem & arbitrum; siue igitur hæredem quis sibi ab intestato succedentem, siue extraneum, modo cum illo fuerit testamentifactio, in testamento suo scripssisset, siue instituto totam hæreditatem reliquisset, siue totum as legatis exhaustisset, parum intererat, nec testamenti valori eam ob causam quidquam derogatum est. Quid autem ex effræni hac testandi licentia oriri aliud poruit, quam innumera testamenta ob legatorum molem hæredibus destituta, effectu caruisset? Quis enim prudens tantum onus in se suscipere voluit absque omni lucri spe, imo cum non exiguo sæpius damno? Sic igitur ultimæ voluntates, quas tamen exitum fortiri Reipublicæ intererat, defecere. Summa ergo æquitas testatorum primario, seu potius ultimarum voluntatum (b), secundario vero hæredum favore nitens (c) permovit C. FALCIDIUM Trib. pleb. temporibus Triumvirorum C.N. Do-

(a) L. 120. ff. de V. S.

(b) L. 2. pr. ff. ad Leg. Falcid.

(c) L. 71. ff. eod.

DOMITIO, M. F. CALVINO, & C. ASINIO POLLIONE Coss., ut, postquam Legem Furiam testamentariam a C. FURIO Trib. Plebis, itemque Legem Voconiam a Q. VOCONIO idcirco latam elusit (d) Romanorum calliditas, Anno Urbis conditæ 714. Plebiscitum ferret, quo cautum, ne testator hæredem in posterum adeo legatis adgravaret, ut ne quartam quidem hæreditatis partem sibi salvam retineret. Quodsi igitur plus, quam per Legem hanc licuit, in testamento legatum fuerat, hæredi instituto a legatis tantum pro rata detrahendi potestas competiit, ut sua quarta ab Authore suo Falcidia vocata salva remaneret.

§. VIII.

Vidimus jam primos fines, qui testantium voluntatibus positi fuerant, ne in posterum sine ulla quasi Lege omnem æquitatis regulam transilirent. Quibus dein accessit Quarta legitima, quæ fere æque antiqua videtur, cum PAULLUS Recept. Sent. IV. 5. 5. & ULP. L. 8.

C

§. 9.

(d) Lex Faria ULP. in Pr. §. 2. plus mille assibus legatarium capere verabat. Sed multiplicato legatorum numero, nihilominus hæreditas exhauriebatur; verabat igitur Lex Voconia, quemquam plus alteri legare, quam ad legantis hæredem perveniret: hinc eveniebat, ut pluribus legataris existentibus, anus interdum aureus ab hærede perciperetur, cujus lucri tam exigui spes hæredem ad adeundam hæreditatem invitare sufficienter non poterat.

(e) L. 1. pr. ff. ad Leg. Falcid.



§. 9. & 14. ff. de inoff. Testam. illius portionis jam faciat mentionem. Ex quo colligendum, eam satis esse antiquam, & forsan AUGUSTI temporibus æqualem.* Quamvis enim Romani liberos rerum paternarum quasi condominos jam in vita habuerint (a), eos tamen a parentibus suis libere exheredari, imo vi jurisdictionis domesticæ & occidi posse sibi persuadebant, officio suo satisfactum esse existimantes, si liberis suis, usque dum ipsi sibi victum quarere possent, alimenta præstarent; Atamen eum hæc alimenta, quibus & educatio ac subsidium ad conquirenda sibi necessaria insunt, in Jure Naturæ suum fundamentum fortiri viderent, prout in variis Juris Civilis Legibus debitum naturale vocatur (b), nihil magis civile arbitrabantur, quam liberis a parentibus, & his vicissim ab illis legitimam relinqui, unde a Jure Civili certa quantitas est determinata, quæ talibus personis post obitum testatoris ita competebar, ut, quemadmodum Falcidia de legatis dodrantem superantibus, ita etiam hæc de institutionibus debitum modum excedentibus detrahi posset,** quæ simul est ratio, quare Legitima multis in Legibus Falcidia vocetur (c).

* CUJAC Obs. II. 21. III. 8. Legitimam a MARCO Imperatore inventam suspicatur, innixus auctoritati NICEPHORI;

(a) L. 11. ff. de liber. & posth. hered. Instit.

(b) L. 7. ff. Und. liberi. L. 7. ff. de Bon. Damnat. L. 36. §. 2. C. de inoff. Testam. Nov. 18. c. 1. sub fin.

(c) L. 31. C. de inoff. Testam. L. 8. §. 9. & 14. ff. eod.

RI; sed jam alii, scilicet JANUS A COSTA Pr. Inst. de inoff. Testam. CLAUD. SCHIFFLET. de legitima Portione. ANTON. SCHULTING. Jurisprud. Antejustinian. p. 351. CORNEL. VAN BYNKERSHOEK Obs. Jur. univ. Lib. II. cap. 12. JOAN. VAN DE WATER Observ. Jur. Rom. Lib. I. cap. 11. HEINECC. in Syntagm. Antiq. Lib. II. Tit. 18. §. 7. seqq. solide demonstrarunt, Legitimam post L. Falcid. demum ortam esse. Inter quos DE WATER eo procedit, ut ipsam Legem Falcidiam pro lege legitimam introducente habeat. Conferri meretur HEINECC. Diff. de lev. not. macula §. 9. & seqq. ubi RANCHINUM Edict. Prat. Restit. L. V. Tit. 3. reprehendit, qui hanc querelam ex Edicto Prætoris deduxit.

** Antiquitas sufficiebat, Legitimam illis, quibus debebatur, relictam esse, quocunque id titulo factum fuerit. L. 30. Cod. de inoff. Testam. L. 8. §. 6. ff. eod. Jure vero novo eam honorabili institutionis titulo esse relinquendam constituit JUSTINIANUS in Nov. 115. cap. 3. 4. sic & ratione quantitatis Jus novum a veteri discrepat. Olim enim semper fuisse quartam partem hæreditatis ab intestato debita, patet ex §. fin. Inst. de inoff. Testam. L. 8. §. 8. ff. eod.

§. IX.

ERat Falcidia omnium Quartarum prima, quibus testatorum libertas coarctata fuit, ad cujus exemplum reliquæ demum introductæ sunt; saculo enim ab Urbe condita nono originem sumpsit Quarta sic dicta Trebelianica. Exitere quamplurimi apud Romanos, qui hæredes testamento institui non poterant; cum autem durum nonnunquam accidisset Romanorum erga propinquos



cognatosve charitati, se nihil illis, quia testamentifactione non gaudebant, in testamento suo relinquere posse, non quidem illud Jus tanquam asperum omnino e foro eliminare sunt ausi; sed alium inveniebant modum, quo Leges illas circumveniendo etiam iis personis, qui omni hereditatis spe destituti erant, sua bona relinquere possent, scripsere sibi scilicet heredem, cui nullatenus adema erat ex testamento capiendi potestas, eumque rogabant vicissim, ut hereditatem iis, ad quos pervenire de Jure stricto non poterat, restitueret, adeoque illi bona restitutionis titulo, quæ tanquam heredes acquirendi incapaces erant, consequerentur. Ex quo simul adparet, a fide magis heredis, quam ulla obsequii necessitate dependisse, num testatoris voluntatem adimplere vellet, nec ne, cum verbis nonnisi precativis fideicommissa fuerint constituta, donec tandem AUGUSTUS Legem tulisset, quod heredes fideicommissis gravati ad illud restituendum Jure perfecto obligarentur; constitutus insuper Prator, qui de fideicommissis extra ordinem cognosceret (a). Cum igitur Testatoris hereditatem restituere rogantis voluntatem exequi jam non amplius in libero heredis arbitrio positum esset, sed necessitatis vinculo ad id adstringeretur, hæres autem fideicommissis universali gravatus ex ipsa hereditate nihil plane commodi haberet, imo cum actionibus hereditariis respondere deberet, plurimum sæpe damni caperet,

(a) L. 178. §. 2. de V. S. CICERO de Fin. II. §8. QUINTIL. Declam. 324. VALER. IV. 2. 7. SUETON. CLAUD. Cap. 23. HEINEC. Synt. Antiq. Lib. 2. Tit. 23. §. 4.

ret, frequentius accidit, ut hæreditatibus repudiatis testamenta destituta jacerent. Quapropter imperante NERONE Anno ab U. C. 814. & 61. post CHRISTUM natum L. ANNAEO SENECA, & TREBELLIO MAXIMO Coss. suffectis, Senatusconsultum prodit, quo cautum, ut restituta in posterum ex testamento universa hæreditate actiones omnes, quæ hæredi, & in hæredem competere, cum hæreditatis simul commodo transirent in eum, cui ex fideicommissis restituta esset hæreditas (b). Verum necdum sic huic malo sufficiens medela lata fuerat, quamvis enim hæredi damnum amplius metuendum non erat; attamen nec commodum ullum sperare potuit, inde hæreditatis restituendæ incommodis * se onerare multis non expedire videbatur. VESPASIANUS ergo PEGASO & PUSIONE Coss. novum Senatusconsultum condidit, eoque hæredi fiduciario ex bonis fidei suæ commissis quartam detrahere permisit, adeoque hoc Senatusconsulto Lex Falcidia ad Legata ante solum pertinens fideicommissis universalibus est adplicata (c). Hæc duo Senatusconsulta omnino diversa, quorum prius Trebellianum, alterum Pegasianum vocabatur, postea in unum conflavit JUSTINIANUS, explosoque Pegasiani nomine Trebelliano omnem auctoritatem tribuit (d). Unde hæc Quarta hodie dum Trebellianica vocatur.

C 3

*Præ.

(b) §. 4. Inst. de Fideicomm. hæreditat.

(c) §. 5. Inst. eod.

(d) §. 7. Inst. de fideicomm. Hæred.



* Præsertim cum Actiones ab hærede non directe amoverentur, sed utiles tantum fideicommissario, & in eum daret Prætor §. 4. Inst. de fideicom. Hæred. adeoque hæres a creditoribus conventus se tantum exceptione & Senatusconsulto sibi competente defendebat. L. 1. §. 4. ad SC. Trebel.

§. X.

Liberis quartam legitimam necessario relinquendam fuisse ex præcedenti §pho VIII. constat. Cum vero etiam arrogati in Patris arrogatoris familiam transire a Romanis censerentur (a) proinde & reliquis liberorum Juribus illos gaudere necesse esset, hinc **AELIUS ANTONINUS** Imperator ob singularem pietatem, industriam, & virtutem, quibus Imperium Romanum administrabat, **DIVUS PIUS** adpellatus, filius **HADRIANI** Imp. adoptivus, constituit, ne quis arrogatum impuberem, nisi causa cognita evidenter adpareret, eum dignum fuisse emancipatione, emancipet, aut exheredet (b); Quodsi contra factum fuisset, teneretur Pater arrogator filio arrogato absque causa sufficiente emancipato vel exheredato non tantum bona ejus, quæ ad Patrem arrogantem attulit, eorumque emolumenta stante arrogatione acquisita reddere, verum etiam ei honorum suorum quartam partem relinquere (c): Non minori igitur Jure, quam ipsi liberi naturales & legitimi istiusmodi arrogati arrogatoribus suis

(a) L. penult. in fin. Cod. de adopt.

(b) §. 3. Inst. de adopt.

(c) L. 22. pr. & §. 1. ff. eod. L. 2. Cod. eod. Inst. de adopt.

fuis in legitima succedebant, quæ nec fideicommissò, nec alio onere gravari poterat, cum non ex testatoris iudicio, sed Principali providentia ad eos perveniret (d).

²² An his accensendi quoque sint adoptati, ex L. 10 Cod. de adopt. decidi potest; quæ distinguit, an adoptatus quis ab extraneo sit: quo casu nullum Jus in adoptantis bona adoptato acquiritur, nisi ab intestato succedendi facultas, si ab ejus familia per emancipationem prius non exierit: an vero ab ascendentium quodam, ubi idem Jus adoptatis tribuitur, ac ipsis arrogatis.

§. XI.

Ex his luculenter adparere puto, Parentibus jam necessitatem esse impositam, liberos suos, quemadmodum & reciproce liberis Parentes, saltem in portione legitima instituendi. Quanquam enim profusa illa & amplissima testandi facultas libertati populari, qua Romani nihil potius habebant, valde adcommoda videretur, quia tamen ex nimia libertate insignes produci abusus, incommoda & iniquitates, vix non semper contingit, idemque populo Romano accidisset, obligatio hæc antea imperfecta & ex regulis humanitatis potius, quam stricti Juris proveniens in perfectam abire cœpit, & Legitima, quæ antea æquitatis suavis solum, nunc ex legis dispositione supra memoratis personis erat relinquenda. Obtinuit ergo ex eo tempore regula generalis: Cui debetur Legitima, ille in testamento

(d) L. 22. §. 1. ff. de Adopt.



mento est instituendus, nisi alio jam modo debitam portionem consecutus fuerit; Ast cum non raro eveniret, illos, quibus ex lege quidem legitima competebat, per varia scelera & injurias in eum, a quò illam quartam praterdere poterant, commissas, illo legis beneficio indignos se reddidisse, hinc in tali casu libera remanebat testatori potestas, illos tanquam immeritos sua ab hæreditate penitus excludendi, dummodo tale fuerit ingrati factum, ut prudentis hominis arbitrio dignum ea pcena haberetur.

§. XII.

Sed nimis generalis hæc mihi positio videtur, quare paulo adcuratius perlustrandum venit, quanam specificè illa facta apud Romanos fuerint, quæ exhæredationem causare poterant. Cum autem in primis ratione liberorum certissimum sit, tantam illorum suos erga Parentes religionem esse oportere, ut res alias levissima in summam injuriam atque scelus excrefcere queat, * in aprico est, istam exhæredandi licentiam non tam arctis inclusam fuisse limitibus, sed quodvis factum liberorum debitæ erga suos Parentes pietati quodammodo repugnans a Romanis, qui hac in re solam rationem naturalem sibi ducem sumebant, tanquam causâ ad exhæredationem sufficiens credebatur; adeoque a privatorum potius arbitrio, cujus tamen æquitatem inquirere judicii centumviralis erat ** eas dependisse, quam legibus positivis fuisse determinatas probabile est. Quamvis enim in quibusdam legibus certas causas invenire liceat, ob quas liberis omne in Parentum bona

bona succedendi Jus auferri poterat (a); tantum tamen abfit, ut hæ solæ extiterint, ad exhæredandum qualificatæ; cum exempli potius causa in illis Legibus commemorentur; neque aliter de exhæredatione Parentum a liberis facta statuendum erit, quippe qui ob archissimum sanguinis vinculum & officia paterna, quæ non tantum in procreandis, alendis & vestiendis liberis, sed & in educandis, & omni virtutis arque religionis cultu imbuendis constat, æque facile in suos descendentes peccare poterant, ut illorum bonis indigni reputarentur.

* Personæ enim Parentum Liberis sanctæ erant. L. 9. ff. de obseq. Par. & Patr. præst. Inde est, quod & Constitutiones quædam Germanicæ in Liberos immorigeros severissimas constituerint pœnas. Sic Constitutio Brunsv. Luneb. P. II. pag. 791. ordinat: *So orden und wosten Wir, daß solche Frevelthaten, es mögen selbige so gering seyn, als sie wosten, hinführo jedesmal für criminal angesehen, von unserem*
D Beam

(a) Innuit hoc JUSTINIANUS ipse in Nov. 115. c. 3. ubi sic ait: „Sed
„ quia causas, ex quibus ingrati liberi debeant judicari, in diversis
„ Legibus dispersas, & non aperte declaratas invenimus; quarum ali-
„ quæ nec dignæ nobis ad ingratitude[m] visæ sunt, aliquæ vero, cum
„ essent dignæ, prætermittæ sunt, ideo necessarium esse perspeximus,
„ eos nominatim præsentis legæ comprehendere, ut præter ipsas nulli
„ liceat ex alia Lege ingratitude[m] causas opponere, nisi quæ in hujus
„ Constitutionis serie continentur.„ Talium Legum autem exempla
„ occurrunt in L. 3. §. 5. ff. de Bon. Poss. contra Tab. L. 11. L. 18.
„ L. 19. 20. 23. Cod. de inoff. Testam.

Conf. PLIN. I. Epist. justas irascendi causas Patrem habuisse videri
vel non videri.



Beamten an die Justiz-Collegia berichtet, und die Verbrecher respective mit dem Zuchthause und Karrenschieben dem Bestinden nach bestraft werden.

Const. Polit. Nassov. p. 13.

Insonderheitlich derjenige, so seinen Eltern gesucht, oder Hand angelegt hätte, vermdg Gottes des Herrn Wort an Leib und Leben gestraft werden 2c. 2c.

Centumviri enim de inofficioso cognoscebant. L. 13. & 17. ff. de inoff. Testam. Sic QUINTIL. VII. c. 5. „Si ex-
 „hæredatum a se filium pater testatus fuerit elogio, quod
 „is meretricem amaverit, omnis hic quæstio erit, an huic
 „delicto pater debuerit ignoscere, & Centumviri tribue-
 „re veniam.„ Sic Idem III. c. 13. habet: „Cum apud
 „Centumviros quæritur: uter dignior sit hæreditate? „
 Pariter HIERONYM 2. Epist. „Hæreditariæ vel centum-
 „viraes causæ de barathro erutæ.„

§. XIII.

Cum ergo sub justa causa illi, quibus de Jure debebatur Legitima, ab hæreditate excludi possent, hæ causæ vero antiquitus vix non in mero testantis arbitrio positæ erant, nihil frequentius accidit, quam quod plerique proprio sanguini invisi illum mutæ pietatis sensum ac radicem, quem Natura parentum liberorumque animis ingeneravit, prosternerent, variasque excogitarent causas utut frivolas, sub quarum prætextu illos ab hæreditate excluderent, qui ad eam ab ipsa Natura vocati nihil tale unquam promeriti fuerunt. Sed quia parentes aut liberi, qui ad Naturæ stimulum ita obsurdescebant, ut post mortem
 |quo-

quoque se invicem excludere sine ulla rationabili causa ab hæreditate non dubitarent, contra Naturam universi generis cum hominum tum animantium tam graviter impingebant, ut illud vitiatae mentis rabiem immanitatemque a feris nondum exercitam saperet, non absque justa ratione Jurisperiti Romani talem effectum invicem excludendi ab hæreditate sua inter parentes & liberos non pro sanæ mentis sensu, sed pro mentis vicio, & quodam quasi furore habuerunt, aut furori æquipararunt (a), quia se suosque conservandi votum non minus Natura sanæ voluntati impressit, quam facultatem intelligendi sano intellectui. Ideo autem furori tantum æquiparaverunt Prudentes, quia hoc vitium solum morale est, seu habitus vitiosus voluntatis, qui eam totam non perimit, sed actum saltem eo ex vicio natum; cum econtra verus furor sit morbus naturalis & habitus vitiosus intellectus, qui omnem consensum & agendi tollit facultatem. Quodsi igitur vel parentes liberos, vel hi vicissim parentes in testamento præterivissent, aut exhæredes absque tali causa scripissent, quæ ab omnibus sana mente præditis pro justa agnosci debuisset, aut sub justa quidem, at non vera, ex hac* Jurisconsultorum interpretatione inique exhæredatis succurrebatur, ita, ut se immerito a Legitima naturaliter sibi debita, quasi a furioso, i. e. ab eo, qui contra Naturam egisset, exclusos esse conqueri possent.** Conqueri autem tantum licuit, quia parentes liberique inter se agere posse proprie & salvo respectu vel pietate sibi invicem debita non

D 2

crede-

(a) L. 2. ff. de inoff. Test. L. 5. §. 1. ff. eod.

credebantur. Mota vero hac querela, colori furoris tanquam fundamento innixa hujusmodi testamenta rescindebantur; hæreditasque illis deferebatur, quos naturalis charitas, commune votum parentum, & sanguinis necessitudo ad successorem vocabat (b).

* Non ergo ex Lege Glicia originem hæc querela traxit, uti quidam nonnisi conjecturis inanibus suum assertum stabilientes occasione inscriptionis L. 4. ff. de inoff. Test. audent, sed omni fundamento idoneo destituti. Majori sane probabilitate hæc mea sententia gaudet, qua illam ex Prudentum interpretatione suos impluisse natales defenditur. Conf. Pr. Inst. de inoff. Testam. juncta L. 2. §. 5. ff. de Orig. Jur. Confer. etiam BYNKERSHOEK Obs. Jur. univ. Lib. 2. Cap. 12. HEINECCIUS in Dissert. de levis notæ Macula §. 10. seqq. & in Anriq. Jur. Rom. L. 2. Tit. 17. §. 5. WESTENBERG Diss. 1. de Portione legitima cap. 2. §. 4., quorum fundamenta Anonymus, qui sub titulo LOUARDI latere voluit, non enervavit in Libro de vera Origine Querelæ inofficiosi Dresdæ 1762. Tempus vero introductæ hujus querelæ tutus determinare vix audeo, cum ea, quæ ex interpretatione Prudentum oriuntur, & moribus confirmantur, certæ epochæ affixa non sint. Hoc tamen certum est, eam, cum ad conservandam Legitimam sit introducta, & ad imitationem Falcidæ sit proposita, post annum 714. demum referendam esse. Et cum PAULUS in L. 87. §. 3. ff. de Leg. 2. Rescripti ab Imperatore ALEXANDRO ad CLAUDIAN. JULIAN. dato hujus querelæ jam faciat mentionem, eam & hunc Imperatorem præcessisse necesse est: Imo valde probabile est, querelam inofficiosi libera adhuc Republica incognitam haud fuisse. VALER.

(b) L. 3. Pr. ff. de Inoff.

VALER. MAXIM. L. VII. cap. 7. §. 5. CICERO in VER-
REM L. I. c. 42. Conf. WALCH. de Querel. inoff. Don.
§. I. & 2.

** Ejus exemplum præter reliqua VALERIUS MAXIMUS
Lib. VII. c. 8. refert. „Sic Aebutiae Tabulae, inquit, ple-
„nae furoris fuisse dicuntur, in quibus alteram filiam insti-
„tuit, alteram vero sine ulla justa causa exclusit, quas ta-
„men hæc impugnare recusavit, eo se indigniorem injuria
„ostendens, quò eam æquiore animo sustinebat. „

§. XIV.

Postquam testamenta sub colore furoris impugnari posse moribus invaluerat, videndum quoque, quis hujus querelæ fuerit status ante JUSTINIANI tempora, ac primo quidem, quibus præcipue personis testamenta inofficiosa dicendi jus concessum fuerit? Quod quidem quoad eas personas, quibus Legitima relinqui necessario debuerat, extra dubium positum est; sed latius successive testatorum dispositiones sub hoc colore evertendi pruritus serpsit, adeo, ut omnes defuncti cognati, qui aliquam ab intestato succedendi spem habebant, sine justa causa ab hæditate exclusi hac inofficiosa querela, quamvis sine effectu * rem experiri tentarent. Videbatur hoc iniquum Romanis, quod cognati etiam remotiores, qui præter spem ab intestato succedendi nullum ad demortui bona Jus habebant, testamenta quotidie impugnare præsumerent. Ad excessivos igitur hos motus compescendos, rescindendamque litium frequentiam necessarium duxerunt Legum frœnum, quo ad certos limites reduceretur hominum audacia. Sta-



tutum ergo est, neminem in posterum, qui esset ultra fratres, & contra testamentum hanc querelam intentare vellet, a quocunque Judice, qui faciliores antea præbebant aures, audiendum esse (a); adeoque ex eo tempore non nisi I. Descendentibus sive ex masculis, sive fœminis (b), II. Ascendentibus, & III. denique Collateralibus, qui non sunt ultra fratres hac querela agere licuit. Descendentium autem nomine non solum filii, sed & filia, nepotes nepesque comprehendebantur (c), nec intererat, sive sui, sive emancipati exheredati fuerint (d), quamvis emancipatis directe hæc querela data non videatur, quia de Jure Civili non succedebant; De injuria autem sibi facta conqueri non poterat is, qui ne quidem tabulis non extantibus succedere poterat; Postquam vero a Pratore successio- nis capaces redderentur, data bonorum possessione, iis conquerentibus objici amplius non poterat, nullam sibi factam fuisse injuriam, & consequenter querelam cessare. Requirebatur tamen liberos fuisse naturales & legitimos; Ratione matris autem etiam naturalibus & vulgo quasitis

COM-

(a) Per L. 21. C. de inoff. Testam. tempore DIOCLETIANI & MAXIMIANI latam.

(b) L. 5. Pr. ff. de inoff. Testam. L. 35. §. 3. Cod. eod.

(c) Arg. L. 16 §. 1. ff. de inoff. Testam. L. 27. §. 3. ff. eod. L. 7. C. L. 34. Cod. eod. L. 9. Cod. de suis & legit. Lib.

(d) L. 7. L. 23. pr. ff. eod.

competebat (e), Adoptivi vero minus pleni sicuti a Legitima, ita & ab hac querela contra Patrem adoptivum, non autem naturalem, instituenda removebantur (f). Arrogati vero Quarta Divi PII familiæ herciscundæ judicio petenda contenti esse debebant (g). Denique quia & posthumi, dum de eorum favore agitur, pro jam natis habentur, & hi aut instituendi, aut exheredandi erant, adeoque querela inofficiosi Jure experiebantur (h). II. Competebat Ascendentibus (i) contra liberorum testamenta. Quoad hos vero hæc observanda diversitatis ratio fuerat, an suus, an vero emancipatus decessisset? Illo ab intestato decedente, nullis liberis post se relictis, ad Parentes ejus pertinuit peculium castrense, & quasi castrense, Jure quasi postliminii (k). Emancipato vero mortuo pater ad exemplum Patroni Jure Prætorio deficientibus Defuncti liberis naturalibus succedebat (l), acceptaque bonorum possessione ad querelam admittebatur eo ordine, quo Jure Prætorio

VO-

(e) L. 8. L. 2. Pr. L. 4. ff. Und. cognat. L. 29. §. 1. ff. de inoff. Testam.

(f) L. 10. Cod. de Adopr.

(g) L. 8. §. 15. ff. de inoff. Testam.

(h) L. 3. C. eod.

(i) L. 1. L. 15. Pr. ff. eod.

(k) L. pen. §. 3. ff. de castren. Peculio. L. 15. Pr. ff. de inoff. Testam.

(l) L. 1. pr. ff. Si a par. quis manumiss.



vocatus erat. III. Denique fratribus hac querela experiri licuit** ; quorum nomine & sorores comprehendi Leges expresse (m) statuunt , neque tunc ad querelam opus erat , ut turpis & maculata persona fratribus praeferretur , cum utraque Lex indistincte loquatur , nec de tali persona mentionem faciat , adeoque illo tempore , non quis institutus , sed potius quis praeter meritum exheredatus sit , quaerebatur ; donec CONSTANTINUS restrictionem novam Jure Codicis introduceret , fratres non solum uterinos a querela excludens , sed & aliis eam non aliter concedens , nisi turpis persona illis praeterita fuisset (n).

* Patet hoc ex L. 1. ff. de Inoff. ubi omnis querela obtinendi spes cognatis ; qui ultra fratres sunt , admittitur , id quod de anterioribus temporibus ibi quoque dicitur. Quamvis igitur Cl. BOEHMERUS in sua Dissertatione de querela inofficiosi fratrum consanguineorum §. 6. contrarium asserat ad exempla a VALERIO MAXIMO Lib. VII. c. 8. relata provocans. Ea tamen me non movent , ut inofficiosi actionem a remotioribus , quam a fratribus unquam utiliter institutam esse existimem , cum exempla ibi relata probent ; quidem illa testamenta amicis insperata , non autem enervata ab illis per querelam fuisse.

** Non desunt , qui fratres parentibus olim Jure querelae antecessisse affirmant , sed cum in L. 1. ff. de inoff. Test. fratres aperte parentibus postponantur , illud vix tuto asseri posse autumo.

§. XV.

(m) L. 21. Cod. de inoff. Testam.

(n) L. 27. Cod. h. T.

§. XV.

Hac autem querela qui agebat, nihil intenderat aliud, nisi successionem ab intestato (a); unde & ab agendo repellabantur illi, quibus spes omnis ab intestato succedendi adempta erat. Exinde sequebatur, quodsi contra testamentum pronunciatum a Judice fuerit, illud totum ipso Jure esset rescissum, ita, ut nihil in eo ullius roboris permaneret (b), si libertates datas propter singularem earum favorem excipias (c). Quo casu tamen manumissorum pretia interdum hæredi erant restituenda (d). Fuit hoc illi Romanorum fundamento, quibus querelam inofficiosi superstruebant, scilicet *quasi* furori, admodum consentaneum. Ast cum furorem alicui affingere, præsertim parentibus aut liberis valde simul videretur odiosum; hinc redditur ratio, quare non solum Actori in casum succumbentiæ legatum in testamento relictum a Legibus ademptum sit (e), nisi alieno, velut tutorio nomine egerit, aut ante sententiam destiterit (f), sed etiam ratione temporis, quo

E in-

(a) L. 34. Cod. de inoff. Test.

(b) L. 8. §. 15. L. 28. ff. eod.

(c) L. 4. Cod. eod.

(d) L. 7. §. 16. ff. eod.

(e) §. 5. 6. Inst. L. 8. §. 14. ff. eod.

(f) L. 22. L. 8. §. 14. L. 30. ff. eod.

institui querela poterat, & transmissionis ad hæredes specialibus circumfcriberetur limitibus. Tempus vero tantum quinquennio inclusum erat, nisi magna iustaque causa contrarium suaderet (g). Nec transmittetur ad hæredes quoscunque instar cæterarum actionum, nisi præparata a Defuncto (h). Præparata autem tunc dicebatur, si usque ad denuntiationem, vel libelli oblationem Defunctus processerat, aut comminatus eam tantum fuerat (i). Notandum vero hic est, quodsi forsân a Defuncto querela illa mota quidem fuerit, is autem mutata postmodum voluntate decesserit, ad hæredes non transmitteretur (k). Ex eodem porro odio introductum primitus videtur, quod actor se ex non iusta causa esse exhæredatum vel præteritum probare debuerit (l), adeoque pro Defuncti iudicio præsumeretur. Idem quod omnes illi ab hac querela excludere-

(g) L. 2 § 17. L. 9. ff. L. 16. Cod. de inoff. Test. PLIN Lib. V. Ep. I. Ex quo loco simul patet, biennium istud non Constitutionibus demum TRAJANI aut ANTONINORUM inductum esse, ceu existimavit SICCAMA de Judic. Centumv. Lib. II. Cap. VI. Rectius hoc biennium ab ordinario tempore usucapionis immobilium repetit JO. VAN DE WATER Lib. I. Obs. Cap. XI. pag. 60.

(h) L. 6. §. 2. ff. L. 5. L. 36. §. 2. Cod. eod.

(i) L. 7. ff. L. 5. Cod. eod.

(k) L. 15. §. 1. L. 31. §. 3. 4. L. 32. ff. eod.

(l) L. 28. Cod. eod.

(m) L. 8. §. 6. L. 25. ff. L. 29. Cod. eod.

cluderentur, qui aut legitimam alio quocunque, etiam donationis inter vivos, ea tamen mente factæ, titulo salvam haberent, in quam etiam fructus medio tempore percepti, si hæreditas restitui debuerat, imputarentur (*n*), aut voluntarem Defuncti quocunque modo agnovissent (*o*), quo casu sola minor ætas restitutionem in integrum causeret (*p*).

§. XVI.

Fuerat hæc primæva querelæ inofficiosi natura eo usque perdurans, donec eam JUSTINIANUS suis Constitutionibus varie immutare ceperat. Harum vero mutationum duæ præcipuæ epochæ considerandæ veniunt, quarum prior usque ad Jus novissimum, scil. Novellarum porrigitur, a quo demum posterior suam originem sumit. Priorem vero quod attinet, mutationum a JUSTINIANO introductarum l. est, quod illis duntaxat in posterum hæc querela uti concessum esse voluerit, quibus in testamento plane nihil relictum esset; Illis vero, quibus aliquid in testamento relictum fuerit, non autem integra legitima, ad ejus supplementum esse agendum, rejecta pro his querela nullitatis (*a*), præceperit. Favore autem ultimarum

E 2

VO-

(*n*) L. 8. §. 11. ff. de inoff. Testam.

(*o*) L. 12. in Pr. L. 23. §. 1. ff. eod.

(*p*) L. 8. §. 1. Cod. eod.

(*a*) L. 30. 31. & 32. Cod. eod.



voluntatum hoc Imperator statuebat, ne ob exiguam quantitatem totum testamentum sapius infirmaretur. II., cum exhæredati se inique in testamento esse exclusos, præteritosve, antea probare debuerint (§. XV.), hoc tanquam nimis durum rejecit, sanxitque, ut hæredes probationis onus, exclusos ingratos fuisse, in se suscipere deberent (*b*). III. tempus quinquenii non amplius currere cœpit a morte testatoris, sed ab adita hæreditate: Cum vero sic inique exhæredato ejusque hæredibus facile damnum accidere possêt, certum tempus hæredi constitutum fuerat, intra quod se declarandi necessitas illi imposita est, num repudiare hæreditatem, an vero adire mallet; Quod si neglexisset, querela interim etiam non præparata ad præmorientis hæredes transmittebatur (*c*). IV. denique a Jure veteri discrepantia a JUSTINIANO introducta ea est, quod, qui aliqualem quidem ex testamento portionem cepit, non autem totam legitimam, ad ejus supplementum agere valeat, quamvis relictam sibi portionem acceptando Defuncti voluntatem agnovisse videatur, dummodo se de eo, quod deest, nullam quæstionem habiturum, speciali pacto non promiserit (*d*).

S E C.

(*b*) L. 34. Cod. de inoff. Testam.

(*c*) L. 36. §. 2. Cod. eod.

(*d*) L. 35. §. 2. Cod. eod.

S E C T I O II.

DE QUERELA INOFFICIOSI A JUSTINIANO IN EXILIUM IRE JUSSA.

§. XVII.

Hactenus de ortu progressuque querelæ inofficiosi fecundum Jus antiquum. Propius nunc ad ipsum Dissertationis scopum accedo, ejus statum in Jure novo, scilicet Novellarum, paulo accuratius perscrutando. Varias hic, longeque notabiliores mutationes in variis Novellis factas invenire licet, adeo, ut totum Jus antiquum ratione hujus querelæ a JUSTINIANO penitus eversum merito dixeris. Sic I. Quarta, quam antea tres omnium bonorum uncia constituebant, una uncia aucta est, adeoque jam in quatuor uncis consistit, si quatuor paucioresve liberi adsint, si vero quinque, vel plures, ad sex usque uncias eam crescere statuit JUSTINIANUS (a). II. Jure Ante-Justiniano Parentibus licuit liberos suos sub quacunque forma etiam non expressa causa exhæredare, uti §. XV. dictum est; Neque tenebantur præcise Parentes sub titulo institutionis liberis Quartam debitam relinquere; hoc vero denuo a JUSTINIANO est immutatum, isque liberis Quartam titulo institutionis esse relinquendam (b)

E 3

&

(a) Nov. 18. Cap. 1. Nov. 39. & 92.

(b) Nov. 115. Cap. 3. pr.



& exhæredationem nominatim fieri addita simul ingrati-
tudinis causa præcepit, quæ causæ cum antea fuerint arbitra-
riæ (§. XII.) specificè eas tam ratione liberorum (*c*),
quam Parentum (*d*), definivit, ita, ut præter illas nulla
alia ad exhæredationem sufficiens admitteretur (*e*). Hinc
colligendum, neque posthumum, neque infantem hoc
Jure exhæredari posse, cum in illis causam ad exhæreda-
tionem sufficientem concipere vix dabile sit. III. Denique
mutatio quam maxime notanda in eo versatur, quod tes-
tamentum querela inofficiosi rescissum totum non amplius
corruat, sed tantum quoad hæredis institutionem, reliqua
vero tam legata, & fideicommissa, quam alia testamenti
capita in suo permaneant vigore (*g*).

§. XVIII.

Præmissis his quæstio palmaria jam in disceptationem ve-
nit, quæ in eo versatur, an querela inofficiosi inter
Parentes & liberos Jure hodierno adhucdum obtineat, aut
an non potius eam plane cessare, adeoque in contrarium
eun-

(*e*) Nov. 115. Cap. 3.

(*d*) Nov. 115. Cap. 4.

(*c*) Nov. 115. Cap. 3.

(*f*) L. 23. §. 1. Cod. de inoff. Test. juncta L. ult. in fin. Cod. de Liberis
præterit. vel exhæred.

(*g*) Nov. 115. Cap. 3. §. 12. & 13.

euntes falso laborare supposito, qui eam nostris in foris
 superstitem esse defendunt, adfirmandum sit. Quam sen-
 sentiam meam esse ex ipsa Dissertationis rubrica adparet.
 In sequentibus autem ea nunc plene demonstranda super-
 est. Ratiocinium vero, quo theses mea veritatem
 evincere conabor, tale est: Si querela inofficiosi adhucdum
 nostro in Jure locum obtineret, ejus fundamentum vel in
 Jure antiquo positum esse deberet, vel in Jur. Novo, scil.
 Novellarum; ex his enim, tanquam Legibus omnibus aliis
 posterioribus Jus Novum desumimus: Neutro vero in Ju-
 re ullum querela hac praesidium invenit, quo vel mini-
 mum valorem sibi hodieum reservare queat. De Jure enim
 antiquo id indubitatum est, cum de eo testamentum inoffi-
 ciosum rotum invalidum fuisse §. XV. ostensum sit. Ad
 Jus igitur Novellarum, & quidem ad Nov. 115. confu-
 giendum erit; Sed quam erronee ex hac Novella passim
 Authores tanquam unico fonte querelae retentionem de-
 rivent, ex sequentibus clarius fiet.

Cum querelae inofficiosi naturam per Novellas a JU-
 STINIANO omnino everfam, vel saltem ita immutatam esse,
 ut ab antiqua quam maxime diversa recte dicatur, antece-
 denter, quantum factis, probatum fuerit, palam exinde sit,
 JUSTINIANUM in saepe adducta Novella 115. cap. 3. & 4.
 actionem in suis proprietatibus ab antiqua inofficiosi querela
 plane discrepantem constituisse, adeoque ab adversariis
 probandum esse, JUSTINIANUM in sua Constitutione
 veterem querelam retinere voluisse, solis illis, quorum
 mentionem ibi fecit, immutatis. Hujus vero probatio-
 nem



nem ab ullo feliciter fieri posse, vix crediderim, cum contrarium potius ex eo sufficienter pateat, quod in ista JUSTINIANI Novella ne vocabulum quidem querelæ inofficiosi invenire liceat, imo, cum veteris querelæ inofficiosi fundamentum *quasi furoris* scilicet, ex quo totum testamentum nullum esse inferebant, ad JUSTINIANI novam Constitutionem nullam paratur applicationem, juxta quam quoad hæredis tantum institutionem vitiatum, inferre secure potero, cessante fundamento, natura & effectibus actionis ipsam actionem cessare. Signum ergo est evidentissimum, JUSTINIANUM non solum aliqua ratione querelæ indolem immutare voluisse, retenta ipsa querela, sed novam potius introducere actionem, antiqua in totum abrogata, ejus mentem fuisse.

§. XIX.

Contraho argumentum. Si alicujus actionis, aut Legis ratio fundamentalis, simul & effectus principalis deficit, certum est, & Legem, & actionem cessare, præcipue si alia magis utilis substituatur, * & prior concessa sit tantum actio subsidiaria. Jam post Nov. 115. c. 3. & 4. cessat fundamentalis furoris ratio, utpote restricta testandi facultate non amplius necessaria. ** Cessat principalis hujus furoris, & inde nata querelæ effectus, infirmatio scilicet integri testamenti, & actio nova, seu condictio ex Nov. 115. est data, quæ certe utilior est priori, cum per eam voluntas testatoris, in quantum impia non est, conserveur, neque alii Legatarii, qui revera innocentes sunt, per talem

tc-

testamenti partialem rescissionem læduntur, sed solummodo illi, qui contra pietatem læsus est, subvenitur, & tantum extraneo instituto impietatem causanti hæreditas adimitur; ex quo pleno fluere alveo mihi videtur, quod querelæ inofficiosi, utpote subsidiariæ (a), post Novellam locus amplius esse haud possit.

* Sic cessat rei uxoriæ actio, postquam in actionem ex stipulatu est transfusa. L. un. Cod. §. 13. de rei uxor. act. Quamvis in hac Lege rei uxoriæ actio verbis expressis non sit sublata, sed ejus effectus solum actioni ex stipulatu accommodati fuerint, omnes tamen in illius locum hanc posteriorem actionem surrogatam esse defendunt. Sic juxta contrariæ sententiæ Authores cessat querela inofficiosi, si contra testamentum vel detur querela nullitatis, vel injusti, aut rupti testamenti. L. 1. ff. de inj. rupt. irrit. fact. Test. §. 2. Inst. de inoff. Testam., aut bonorum possessio contra tabulas. L. 23. ff. de inoff. Test., vel etiam Quarta Piana. L. 8. §. 15. ff. eod., vel actio, ut adpellant, suppletoria competat. L. 30. Cod. de inoff. Test.

¶ Ideo enim Jurisconsulti testatorem contra officium pietatis exhæredantem furiosum fingeant, quia alio modo ejus testamentum vi LL. XII. Tabb. sic Lege publica validum, interpretatione sua invadere non poterant, nisi testatorem furiosum fingere, ejus & voluntas ex ipsis LL. XII. Tabb. erat invalida. Vid. Pr. Inst. de inoff. Testam. HEINECC. in Anriq. Lib. 2. Tit. 17. §. 5. BYNKERSHORK. Obs. L. 2. C. 12. Hinc & totum testamentum inofficiosum corruerat, licet in reliquis articulis sanæ rationi fuerit conforme. Postquam autem variis Legibus, Senatuscon-

F
sul-

(a) §. 2. Inst. L. ult. Cod. de inoff. Test.



sultis, Edictis Prætorum, ac Constitutionibus Principum illa vaga testandi libertas jam erat restricta; & Romani potius mentem, quam verba stricta Legis considerarent, ac JUSTINIANUS vagas antea exhæredationis causas determinaret, hoc jam furoris colore opus amplius non est; sed Lex tantum certis ex causis exhæredationem permit- tens sufficienter naturali pietati inter parentes & liberos ob- servandæ prospexit, simulque effectum furoris, id est ro- tius testamenti infirmationem, sustulit, & tantum id, quod pietati contrarium esset, invalidatum voluit.

§. XX.

CONFIRMOR in hac Sententia, si ipsa Novellæ verba ad- curarius considerem. Cum enim querela inofficiosi comperat tantum iis, quibus debetur legitima, (a) in hac Novella autem concedatur actio testamenti rescissoria aliis personis, quibus legitima nullo Jure debetur, facile con- cludere licebit, non de querela inofficiosi, sed de alia actio- ne in hac Novella fieri sermonem, imo talia proponi, quæ querelæ antiquæ non tantum non quadrent, sed eam plane evertant.

Sic in Cap. III. §. 12. hæc nova actio conceditur ex- transeo furiosum curanti, §. 13. Ecclesiæ, §. 14. remotis etiam Agnatis & Cognatis, Ecclesiæ, imo ipsi fisco, quibus certe nec umbra Juris ad legitimam tribui potest.

§. XXI.

(a) §. 1. & 3. Inst. L. 1. ff. L. ult. Cod. de inoff. Testam.

 §. XXI.

Videamus jam paucis, an hodie adhuc casus detur, in quo antiqua querela inofficiosi inter Parentes & liberos existere possit? Et hic diversissimas quoque sententias inter meos Antagonistas invenio. Ii, qui querelam inofficiosi non quidem sublatam, sed tantum restrictam dicunt (a), hos ponunt casus.

I. Si liberi a matre, avove materno five exhædati, five præteriti sint, §. 5. & ult. Inst. de exhæ. liber.

II. Si Parentes five exhædati, five præteriti sint a liberis. L. 14. ff. de inoff. testam.

Quibus alii alios casus addunt.

III. Si Pater liberos exhædet sine elogio.

IV. Si Pater liberos exhædet sine justa causa.

V. Si justa quidem adsit causa, non tamen ab hærede probata.

F 2

§. XXII.

(a) Uti HEINECC. Tit. de inoff. Testam.



§. XXII.

Sed nullo horum casuum querelam inofficiosi post Novellam 115. locum habere, ipsa Novellæ verba (a) abunde docent, ex quibus luculenter patet

I.

- (a) „ Sancimus igitur non licere penitus patri vel matri, avo vel avia,
 „ proavo vel proavia suum filium vel filiam, vel cæteros liberos præ-
 „ terire, aut exhæredes in suo facere testamento, nec si per quam-
 „ libet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium
 „ quemcumque modum eis dederit legibus debitam portionem, nisi
 „ forsan probabuntur ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis cau-
 „ sas parentes suo inseruerint testamento.

Enumeratis expost ingratitudinis causis, subjungit:

- „ Sive igitur omnes memoratas ingratitudinis causas, sive certas
 „ ex his, sive unquamlibet parentes in suo testamento inseruerint,
 „ & scripti hæredes nominatam, vel nominatas causas, vel unam ex
 „ his veram esse monstraverint, testamentum suam habere firmitatem
 „ decernimus. Si autem hæc observata non fuerint, nullum exhæ-
 „ redatis liberis præjudicium generari, sed quantum ad institutionem
 „ hæredum pertinet, testamento evacuato, ad parentum hæreditatem
 „ liberos tanquam ab intestato ex æqua parte pervenire, ne liberi fal-
 „ sis accusationibus condemnentur, vel aliquam circumscriptionem
 „ in parentum substantiis patiantur. Si vero contigerit in quibus-
 „ dam rebus testamentis quædam legata vel fideicommissa, aut liber-
 „ tates, aut tutorum dationes relinqui, vel qualibet alia capitula con-
 „ cessa Legibus nominari, ea omnia jubemus adimpleri, & dari illis,
 „ quibus fuerint derelicta, & tanquam in hoc rescidum obtineat tes-
 „ tamentum.

Cap.

I. Exheredationem & præteritionem æquali modo haberi, & eodem modo institutionem rescindi, sicque Authores, qui præteritione querelam nullitatis respectu patris, respectu liberorum vero & matris querelam inofficiosi concedunt, ipso Novellæ textu refutari, quæ in utroque casu eandem actionem concedit.

Et sic casus I. & II. corruunt.

II. In hac Novella non distinguitur, inter nullius causæ, aut falsæ causæ adjectionem, aut inter causæ justæ de-

F 3


fi

Cap. 4.

„ Sancimus itaque non licere liberis parentes suos præterire, aut
 „ quolibet modo a rebus propriis, in quibus habent testandi licen-
 „ tiam, eos omnino alienare, nisi causas, quas enumeravimus, in
 „ suis testamentis specialiter nominaverint. Has autem decernimus:

Hic causis productis adjicit Imperator:

„ Si tales igitur causas, vel certas, vel unam ex his liberi testa-
 „ mentis suis inscripserint, & scripti ab eisdem hæredes, aut omnes,
 „ aut certas, aut unam ex his probaverint, testamentum in sua fir-
 „ mitate manere præcipimus. Si autem hæc omnia non fuerint ob-
 „ servata, nullam vim hujusmodi testamentum, quantum ad institu-
 „ tionem hæredum, habere sancimus, sed rescisso testamento eis, qui
 „ ab intestato ad hereditatem defuncti vocantur, res ejus dari dispo-
 „ nimus, legatis videlicet, vel fideicommissis & libertatibus & tuto-
 „ rum dationibus, seu aliis capitulis, sicut superius dictum est, suam
 „ obtinentibus firmitatem. Siquid autem pro legatis vel fideicommis-
 „ sis & libertatibus, & tutorum dationibus, aut quibuslibet aliis ca-
 „ pitulis, in aliis Legibus inventum fuerit, huic Constitutioni con-
 „ trarium, hoc nullo modo volumus obtinere.



ficientem probationem, sed omnes hi casus sub IV. & V. conjunguntur, hincque iterum conditionem concedunt, nec verbulo de inofficiosa facta mentione.

§ XXIII.

Et quamvis videri posset, simplicem exheredationem sine ulla causæ adjectione Novella hac non contineri, sicque casum III. adhuc locum habere; Hæc tamen me non movent, cum ab initio cap. 3. & 4. simpliciter exheredatio (sub qua certe ea sine elogio continetur) sit interdicta, & tantum causæ adjectio ideo requiratur, ut casu ejus existentia, aut sufficientia illius probata testamentum rescindi non possit; In contrario autem casu non querela inofficiosa, sed longe ab ea disparata concedatur actio.

§. XXIV.

Inquirendum itaque erit, quænam illa actio noviter introducta sit, quodnam ipsius nomen? id quod determinare mihi haud difficile videtur, cum receptum in Jure sit, actiones aliquas a Legibus sic dari, quæ, si iis certum a Legislatore nomen impositum non sit, conditiones ex Lege adpellentur (a). Erit igitur hæc nova actio in locum querelæ surrogata conditio ex Nov. 115. cap. 3. vel 4. Præclaro hoc exem-

(a) Tot. Tit. ff. de Condict. ex Leg. & ibi Authores.

exemplo stabiliri potest ex L. 30. Cod. de inoff. Test. defuncto; Quemadmodum enim ex illa Lege omnes Jurisperiti conditionem ad complendam legitimam concedunt, quamvis ibi in casu substrato querelam cessare expresse dicatur, quia tamen tacitorum est eadem vis, & potestas, ac expressorum, * & ex rationibus certo & evidenter concludentibus præsumendum esse, supra demonstravi, JUSTINIANUM querelam omnino tollere, & novam plane actionem illi substituere voluisse, ita ex hac quoque nova Lege conditionem dari, non video, quid obster; sic etiam dubium haud est, quod, si liberi auctam hodie legitimæ portionem petant, eos conditionem ex Nov. 18. cap. 1. instituire debere.

²⁰ Quin imo si Nov. 115. cap. 4. verba ante relata attentiori oculo perlustremus, expresse ibi hanc inofficiosi querelam a JUSTINIANO esse abrogatam, ex verbis finalibus aperte patet. Verba autem ejus hæc sunt: „Siquid autem pro „ legatis vel fideicommissis & liberratis, & tutorum da- „ tionibus, aut *quibuslibet aliis Capitulis* in aliis Legibus in- „ ventum fuerit, huic Constitutioni contrarium, hoc nullo „ modo volumus obtinere. „

§. XXV.

Sed perlustremus quoque, quibusnam hæc conditio competat; Qui in Jure novo superstitem inofficiosi querelam defendunt, * duplicem ex sæpius citata Novella dari actionem communiter asserunt, querelam scilicet nullitatis, quæ datur contra normam a Lege præscriptam, hoc est,



est, vel sine expressione justæ causæ, vel non nominatim exheredatis, vel etiam præteritis: Et querelam inofficiosi, quam rite quidem, at non ex officio pietatis, sine vera scilicet causâ, aut ab hærede non probata, exheredatis competere ajunt. Verum duplici hac actione haud opus esse existimo, cum in omnibus supra memoratis casibus semper conditio ex Novella in promptu sit. Sive igitur liberi in testamento parentum, aut parentes in testamento liberorum præteriti (a), sive non nominatim (b), aut sine elogio (c), aut absque expressâ causâ, ibi pro sufficienti habita (d), ** aut cum tali quidem, sed falsa, vel non probata (e) fuerint exheredati, illa conditio semper erit instituenda, cum in omni casu contra Legis præscriptum peccatum esse ex ipsâ Novella, sicque requisita hujus conditionis adesse, satis constet. Neque sic opus est, torsionibus illis, quibus anterioris sententiæ fautores se ab objectione hac, quod in testamento nullo nihil valere possit, expedire conantur (f). Quod tamen est contra Novellam, quæ ejusmodi testamentum quoad hæredis tantum institutionem corrumpere statuit (g).

^o Vid.

(a) Nov. 115. c. 3. & 4. pr.

(b) Eadem cap. 3. circa finem.

(c) Eadem cap. 3. pr.

(d & e) Eadem cap. 3. circa fin. verb. *Vel ex his unam veram monstraveris.*

(f) Vid. COCCEJI Jus controv. de inoff. Testam.

(g) Nov. 115. cap. 3. in fin.

* Vid. in specie HUBER. in Præl. ad Inst. Tit. de liber. exhæred. & ibi novas additiones THOMASII. Conf. GEORG. SAMUEL. MADIEN. Diss. de legitime natorum portione legitima in successione cum legitimatis. §. 22.

** Quæstio hic agitur, an præter causas in Novella nominatas nullæ aliæ, vel majores, vel æquales admittantur? quod recte negatur. Cum in Novella verbum *nominatim* occurrat, quod cæteras omnes excludit. Dein quoad majores certum est, vix esse possibile dari, quæ non contineantur in quatuordecim ibi positis, & sint simul injuriosæ in parentes vel liberos. Ratione æqualium autem si in judicando attendere velimus, quænam æquales sint, pristina orietur incertitudo, quænam tamen JUSTINIANUS tollere voluit, d. cap. 3. pr. Notandum præterea hic venit, causas etiam easdem videri, quæ intellectu Juris, vel usu sermonis eadem sunt: Sic si filius patrem non quidem expressis verbis, sed tamen factis v. g. repellendo testes, testari prohibuerit, exhæredari jure potest.

§. XXVI.

Cum ergo Jure nostro amplius querela inofficiosi non detur, sed conditio ex Lege ejus locum obtineat, hanc non secundum Leges antiquæ querelæ, sed secundum Leges conditionibus ex Lege proprias dijudicare debemus; adeoque quidquid querelæ illi singulare passim tribuitur, id omne in conditione cessat. Sic I. non terminatur quinquennio, quia omnes conditiones ex Lege XXX. deinceps annorum spatio præscribuntur. II. Hac conditione agens non perdit legata in testamento sibi relicta; id enim non nisi ob summam querelæ odium introductum fuisse, in

G

Spho



Spho XV. ostensum est; odia vero non esse amplianda, sed restringenda, pervulgarum Juris axioma est. * III. Transiit hæc actio, etiamsi a defuncto non præparata ad hæredes. Cum enim hæres in omne Jus defuncti transeat, consequenter & in ejus actiones, quamvis necdum institutas, id est, in Jus agendi, clare exinde elucescit, singularem hanc, atque ab actionum caterarum natura maxime discrepantem qualitatem nonnisi in querela inofficiosi locum sortiri potuisse, in hac vero conditione exulare debere. IV. Conditione hac instituta totam hæredis institutionem corrumpere, & successionem ab intestato locum habere (a). Hinc illa quæstio, an, si unus agat & obtineat, sententia alteri non agenti proffit, affirmative decidi debet. Cum non subsistente institutione illa tota in testamento pro non scripta habeatur, & hæredes ab intestato a Lege vocati videantur (b).

* Potest hoc & ex eo deduci, quod, qui testamentum aut falsum, aut injustum oppugnat, licet non obtineat, legato tamen non privetur. L. 5. in pr. & §. 1. ff. de his, quæ ut indign. auf. Secus vero fuit in querela inofficiosi, cujus diversitatis rationem allegat PAPINIANUS in L. 24. ff. eod. quoniam, qui testamentum jure factum negat, de jure dis-

(g) Nov. 115. cap. 3. & 4. circa fin. Conf. MADIHN. Diff. cit. §. 23. seqq.

(b) LAUTERB. Coll. Theor. pract. ad Tit. de inoff. Testam. & Doctores communiter allegati apud MÜLLER. ad STRUV. ad cit. Tit. §. 24. Conf. tamen COCCEJ. Jus contr. ad h. T. Q. 15, qui difficultates hic occurrentes per remedium rescindens & rescissorium solvit.

disputat, non impugnat, aut accusat Judicium, nec factum injuriosum objicit. Cum ergo stante Lege testamentum rescindere injuriosum non sit, ob defectum coloris furoris, hinc & hodie non de facto, sed de Jure disputat, & sic legatum non amittit.

§. XXVII.

Thesi mea nunc sufficienter demonstrata ad contrariorum, quæ mihi forsitan obmoveri possent, solutionem ordo me ducit. Horum autem primum esse merito, quod Authores ad unum omnes hæcenus ne somniant quidem, hanc inofficiosa querelam nostris e foris eliminare, innixi illi Juris brocardico: Quod mutatum non est, cur stare prohibeatur? Deinde, etsi quidem varios huic querelæ limites ponant, tamen & in eo a thesi nostra discedant, quod ob præteritionem liberorum in testamento parentum, nec non ob omissum elogium, seu exhæredandi causam testamentum querela nullitatis impugnandum esse defendant. Ast salva res est, non enim auctoritate, sed ratione certandum esse autumo. Ii, qui induobus mox positis casibus querelæ nullitatis locum dant, vel totum testamentum, ac si nullum adesset, destruunt, vel tantum hæredis institutionem rescindunt; Si prius, loquantur contra expressam Imperatoris Sanctionem, qui cap. 3. & 4. in fin. præter institutionem reliqua testamenti capita valere declarat. Si posterius, his erit potius de nomine, dum valde improprie & sine fundamento Legis id querelam nullitatis adpellant, quod juxta idioma Juris conditio appellari mereatur. Quo præsupposito, omnes



illæ difficultates, quæ ex impropria hac nullitatis querela profluunt, facillime tolluntur, sicque etiam tritum illud brocardicon de mutatione non præsumenda eliditur, dum novum remedium, seu conditionem a querela inofficiosi longe differre, & ratio, & effectus demonstrent, indeque concludere debemus, uno alterum esse sublatum.

§. XXVIII.

Unicum denique verbulum in ipso Novellæ contextu occurrit, quod ad impugnandam thesin meam accipari quis posset. Est illud verb. *rescindere*, quod cum in querela inofficiosi adplicationem inveniatur, inferri posset, JUSTINIANUM quoque in Novella querelam hanc retinere voluisse. Verum quamvis vocabulum *rescindere* nonnullis in Legibus querelæ inofficiosi tribuatur (a), nulla tamen Lege statutum memini, id aliis actionibus adplicari non posse. Sic sententia, emptio venditio, transactio, donatio non insinuata, aliaque negotia rescindi dicuntur, quin tamen querela inofficiosi locum habeat. Nequaquam ergo ex verbo *rescindere* ad querelam tuto argumentari licet. Actum enim *rescindere* nihil aliud est, quam eum effectu privare eatenus, quatenus valere per Leges non potest. Eadem igitur ratione etiam JUSTINIANUS testamentum, quatenus contra formam in Nov. 115. præscriptam ordinatum est, quoad hæredis institutionem effectu

(a) L. 3. §. 16. ff. de inoffic. L. 17. Pr. ff. eod. L. 25. §. 1. ff. eod. L. 19. in fin. ff. eod.

sectu destitutum voluit, neque in verbulo rescindere eum vim ullam postuisse dici potest, cum in ejusdem Novellæ Cap. III. in fine verbum evacuare usurper, evidenti signo, rescindere ac evacuare tanquam synonyma ab ipso habita, neque per prius aliquid speciale significatum fuisse.


§. XXIX.

Cum ergo thesis mea evidentibus innitatur rationibus, neque adversa pars tale argumentum producere queat, quo eam eversum iri metuendum mihi foret, relicta hac quaestione, quantum satis est, probata, ad aliam transeundum esse ordo suaderet; Consistit autem in eo, quid circa fratrum exhæredationem Juris obtineat? An ratione horum quoque querela inofficiosi exulet, nec ne? Verum cum hujus pertractatio sub Dissertationis mea rubrica non contineatur, eaque utpote plurimis controversiis implicita non tam sterilis sit, ut ad illam rite exhauriendam specimen separatum instituere quempiam pigere possit, hanc plane supersedens aliis altius indagandam relinquo.* Unicum tantum illud paucis pervolvendum mihi sumo, quid ratione querelæ inofficiosi de Jure Franconico statuendum sit?

* Paucis tamen mentem meam aperiā. Certum est, ante CONSTANTINI tempora querelam inofficiosi fratribus competiisse (a), non attento, an turpis persona instituta fuerit, nec ne; hinc L. 5. & 21. Cod. de inoff. Testam. turpium

G 3

(a) BYNKERSHOEK Obs. L. V. c. 5. HOMMEL l. cit.



pium personarum non injiciunt mentionem, licet de fratribus agant; Ast CONSTANTINUS M. L. I. Cod. Theod. de inoff. Testam. novum Jus introduxit, fratresque tunc demum admittit, si personæ illis prælatæ fuerint, quibus iniustas constiterit esse notas detestabilis turpitudinis, vel uti emblemata TRIBONIANI in L. 27. Cod. de inoff. Testam. habet, qui infamiæ, vel turpitudinis, vel levis notæ macula adspersi essent. Non alio ergo casu fratribus datur querela inofficiosi, quam in casu prælatæ turpis personæ. Nec causæ ingratiitudinis desiderantur, ut eum præterire aut exhæredare queat, cum Nov. 115. de causis ejusmodi agens fratrum nullam faciat mentionem. Neque Lex produci possit, qua probetur fratribus Legitimam deberi, cujus tamen debitum querelæ est fundamentum. Neque Nov. 22. c. 46. & 47. huc pertinet; ibi enim non agitur de causis exhæredandi, sed de causis, ob quas frater ingratus a successione ab intestato, in qua cum matre concurrat, excluditur, quod per Nov. 118. sublarum esse videtur. Quod autem Nov. 22. non agat de causis exhæredationis, hoc ipse contextus innuit, & ex eo deduci potest, quod causæ exhæredationis demum per Nov. 115. anno 546. fuerint determinatæ, Nov. autem 22. jam anno 536. fuerit publicata. Quod præposterum fuisset, si JUSTINIANUS causas circa fratres prius, quam circa parentes determinare voluisset: Taceo, quod si tres illæ causæ veræ essent pro exhæredatione & necessariæ, deterior esset conditio parentum, qui ex octo causis exhæredari possunt, cum tamen parentibus liberi ad gratitudinem, fratres autem tantum ad amicitiam obligantur (b). Conf. COCCEJI Jus controversum ad Tit. de inoff. Testam. Qu. 9. HOMMEL de Different. int. Querel. inoff. quæ parent. ac liber., & quæ fratribus competat. §. 9.

S E C

(b) THOMAS. in Diff. de vera Pietate juridica.

S E C T I O - III.


DE QUERELA INOFFICIOSI ETIAM JURE
FRANCONICO EXULE.

§. XXX.

Ad quaestionem hanc ex Jure Franconico determinandam, necessitatem parentibus liberos suos, & his vicissim parentes instituendi ab Ordinatione nostra Provinciali, der *kaiserlichen Landgerichtsordnung des Herzogthums zu Franken*, impositam, nec non causas exharedationum, earumque ad Jus commune habitum praemittere necessarium, aut saltem non superfluum esse judico. Necessariam vero parentum liberorumve institutionem quod attinet, illa ex hac ipsa Ordinatione sufficienter patet, in qua primo a parentibus i. e. patre, matre, avo, proavo, avia, proavia, sive legitimis & naturalibus, sive per unionem in naturalium locum surrogatis sua bona liberis relinqui debere statuitur (a); quod tamen de legitima * solum intelligendum esse ex §pho Ordinationis sequenti patet, cum de tertia bonorum suorum parte illis dispositio, non tamen semper libera relinquatur (b). Secundo liberi quoque recipro-

(a) Part. III. Tit. 48. §. 1.

(b) Tit. 39. §. 14. seqq. Sic parentes post divisionem totalem libero de sua tertia disponunt. Quodsi vero liberi divisi nondum sint, tunc inter



ci proce in defectu descendentium ad parentes suos saltem in legitima, a qua nec peculium castrense, vel quasi castrense excipitur (c), instituendos necessitate adstringuntur (d), a qua tamen duo casus hoc Jure exculant, si scilicet parentibus per factam antea bonorum divisionem tertia pars jam salva permanserit (e), quo casu divisi liberi de sua legitima, exclusis etiam vel prateritis parentibus, libere testari queunt (f). Deinde, si liberi orbatu descendentibus per pacta dotalia, vel alio quocunque modo, tam per actus inter vivos, quam mortis causa conjugii superstiti sua bona reliquerint (g); ** quo casu omnis quoque parentes instituendi necessitas est sublata.

* Legitima, quæ lingua vernacula vocatur ein Pflichttheil, liberis debita de Jure Franconico in duabus tertiis tam paternorum, quam maternorum bonorum consistit, nec refert,

ter parentes naturales & legitimos distinguitur. Priores de sua Tertia bene quidem inter liberos (sive æqualiter, sive inæqualiter, etiam cum exclusione unius aut plurium) non tamen erga extraneos (exceptis consanguineis pauperibus, benefactoribus ac patronis) disponere possunt. Posterioribus autem ante factam divisionem omnis disponendi mortis causa facultas est interdicta.

(c) Tit. 36. §. 3.

(d) Tit. 49. §. 1.

(e) Tit. 36. §. 2.

(f) Tit. 39. §. 13.

(g) Tit. 36. §. 4.

fert, an plures liberi adfint, vel pauciores. Ord. Provinc. Part. III. Tit. 29. §. 1. Parentum vero Legitimam nonnifi una Tertia conficit. Tit. 36. §. 1. & 3.

¶ Duas ergo præceptas Juris Franconici a Jure Communi differentias habemus, quarum una parentibus de bonis filiorum, etiam quali caftrēnsibus legitimam tribuit, cum de Jure Communi in his nihil Juris parentibus competat, L. 2. ff. ad Senatusconfultum Maced. & L. fin. Cod. de inoff. Testam. (b). Secunda conjugibus sibi invicem omnia bona donandi, atque sic parentes a Legitima excludendi facultatem concedit, quod de Jure Communi netas effer, quo per constitutionem dotis, aut donationis propter nuptias Legitimæ præjudicium inferri nequit. Tot. Tit. Cod. de inoff. donat.

§. XXXI.

Neque tamen hæc instituendi neceffitas ita absoluta est, ut parentibus atque liberis nunquam non incumbat, sed non fecus, quam de Jure communi variæ dantur cau-
 sæ, quæ exheredandi potestatem illis hoc Jure tribuunt (a),
 H
 quas

(b) Hanc tamen Legem in praxi non fervari, bene monet STRYK. in Uf. mod. ad Tir. ff. de inoff. Testam. §. 14. & ad LAUTERB. p. 202. Cum enim aliter statuat Nov. 123. c. 19., priorem Legem abolitam esse patet, neque obmoveri potest, Novellam tantum de Clerico loqui, cum ex eo potius contrarium fequatur, cum certe Clerici in Jure majori favore sint dignati, nihilominus tamen Legitimam parentibus relinquere debeant. Taceo, quod multi funt, qui peculia Clericorum rebus æcclesiasticis accētoant.

(a) Tit. 49. §. 6.

quas si cum causis a JUSTINIANO in Novella positis con-
feras, parum discrepantiæ, exceptis quibusdam, invenies.
Sic I. de Jure communi filii tantum patrem captivum, in-
terposita pro eo fidejussione, redimere cessantes ab hære-
ditate paterna excludi possunt, quod autem Ord. Prov. ad
filias quoque extendit (b). 2. Filia aut neptis, etiam vi-
cennio minor (c) luxuriosam vitam agens hoc Jure ex-
hæredari potest, dummodo eam pro facultatibus parentes
elocare voluerint; Quod & in vicennio majore, etsi eam
parentes haud elocent, illa vero turpiter vivat, ex ea ra-
tione obrinet, quia in hac ætate constituta ipsa sibi mari-
tum quærere potest (d). 3. De Jure Civili liberi paren-
tum tantum furiosorum curatoribus adjudicatur, indigni
censentur (e). De Jure Franconico vero id de liberis pa-
rentes suos non solum furiosos, sed etiam corpore, aut
men-

(b) Tit. 50. §. 8.

(c) Vi Nov. 115. c. 3. luxuriose vivens post ætatis annum 25. exhæreda-
ri nequit a parente eam haud elocante, quia filia sine jussu parentum
apud Romanos nubere haud poterant. Pr. Inst. de Nupt. L. 5. Cod.
eod. De Jure autem Franconico vi Ord. Prov. P. 3. T. 106. nuptiis
annus 15. præfinitur, ita, ut, si dissentientibus licet parentibus, æta-
te tamen hac complete, quæ vocatur das verständige Alter, nups-
rint, dotem & donationes propter nuptias a vivis parentibus, & post
eorum mortem Legitimam exigere queant.

(d) Tit. 50. §. 12.

(e) Nov. 115. cap. 3. §. 12.

mente debiles, vel inopes negligentibus statuitur, hæreditasque proximis Agnatis defertur (*f*), id quod & de parentibus a liberis suis exhæredandis statuitur (*g*). Quodsi a parentibus vel liberis contrafactum in testamento fuerit, quod accidere potest, vel iis personis, quibus legitima debetur, præteritis (*h*), aut iusta causa non expressa, aut ab hærede non probata, exhæredatis (*i*), testamentum suis viribus enervatum corruiere, hæredesque contra Legem ab hæreditate exclusos, quasi testamentum non adesset, ab intestato succedere, Ord. Prov. statuitur (*k*), ea limitatione observata, quod hoc de hæredis tantum institutione intelligendum sit, cætera vero ejus capita in sua firmitate persistant, & ab hærede ab intestato succedente adimplenda sint (*l*).

§. XXXII.

Adductis his satis in aprico esse arbitror, Jus Franconicum ratione exhæredationis tam liberorum, quam

H 2

paren-

(*f*) Tit. 50. §. 13.

(*g*) Tit. 51. §. 7.

(*h*) Tit. 48. §. 3. & 4. Quodsi enim aliquid acceperint, expletoria actio tantum locum habet.

(*i*) Tit. 57. §. 9.

(*k*) Tit. 50. §. 15.

(*l*) Tit. 50. §. 16.

parentum Juri Civili, si non in omnibus, saltem in essentialibus omnino conforme esse. Sic eadem personæ hoc Jure legitimam prætendunt, eadem causæ exhæredationum valent, eademque exhæredandi forma obtinet, quæ de Jure Civili. Si quod igitur testamentum contra hanc normam, sive prætereundo, sive inique exhæredando (a) confectum sit, quoad hæredis institutionem suis viribus evacuatur, cæteris ejus capitibus in suo vigore permanentibus, non secus, quam in Novella 115. constitutum est. Tuto ergo concludere licet, Jure quoque Franconico querelam inofficiosi cessare, cum nusquam illi locus expresse concedatur; In iis vero, quæ expresse statuta non sunt, Jus commune esse sequendum, ipsa Ordinatio Provincialis sanciat (b). Inofficiosi equidem testamenti mentionem uno in loco (c) inveni, qui vero de testamento fratrum agit, adeoque cum in fratrum querelam inquirere mihi pro scopo haud sumpserim, huc non pertinet. * Quare nec de Jure Franconico inofficiosi querelam parentibus aut liberis injuste exhæredatis, aut præteritis, sed eandem conditionem, quam de Jure Civili competere affirmo, cum ea tamen differentia, quod tempus, intra quod institui possit, in regula nonnisi ad annum se extendat (d). Cum de

(a) Hos casus non distingui innuit non tantum textus supra §. XXII. nota a. allegatus, sed expresse Ord. Prov. Tit. 56 §. 8. determinat.

(b) Tit. 122. §. 3. Tit. 39. §. ult. Tit. 50. §. 14. Tit. 51. §. 9.

(c) Tit. 52. §. 3.

(d) Tit. 57. §. 1.

de Jure Novellarum demum intra 30 annorum spatium
illi præscribatur.

* Hoc tamen de Jure Franconico certum est, ingratitude
causas circa fratres non attendi, & solam personæ turpis
institutionem, causam impugnandi testamentum præbere
Tit. 52. §. 3.

§. XXXIII.

Esset & hic de exheredatione personarum Illustrium dis-
ferendi locus, & quamvis concedam, liberiozem esse
Principum circa illam potestatem, eam tamen plane vagam
esse persuadere mihi haud possum; hinc Lectorem ad
Scriptores Jurisprudentiæ Heroicæ remitto, cum hæc
materia Juris pure Civilis privati dici nequeat.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

XXIII

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



FINIS

P 401



X2338862

VD 18

ULB Halle

3


007 771 789





Pri. 62. num. 23.

1778 4.
5



DISSERTATIO INAUGURALIS
S CIVILIS ET FRANCONICI
DE
RELA INOFFICIOSI
INTER
ENTES ET LIBEROS EXULE.

QUAM UNA CUM SUBJUNCTIS
UNIVERSO JURE COROLLARIIS
ADSPIRANTE
TER OPTIMO MAXIMO,
NNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,
ULIO-DUCALI WIRCEBURGENSI UNIVERSITATE,
PRAESIDE
BILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO AC
DOMINO

SEPHOMARIA SCHNEIDT,

RE, COMITE PALATINO CAESAREO, REVERENDISS. AC CELSISS.
CIPUM EPISCOPI BAMBERG. ET WIRCEB. FRANCIAE ORIENTALIS
NEC NON FULDENSIS CONSILIARIO AULICO, PANDECTARUM ET
FRANCONICI PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO, ALMAE
UNIVERSITATIS FISCALI,

ENTIATUS IN U. J. CONSEQUENDO GRADU
CAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
PRO MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS RITE
TENTATUS ET APPROBATUS

DOLPHUS AB ECKHART
WARZACENSIS, AA. LL. ET PHILOSOPHIAE MAGISTER,
AUTHOR ET RESPONDENS.
AUDITORIO JURIDICO
FEBRUARII ANNO MDCC LXXVIII.
Horis ante & post meridiem consuetis.

FRANC. ERN. NITRIBITT, UNIV. TYPOGRAPHI,

